



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

7 Quis sit effectus causæ formalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

nem, vt diuersis rationibus mutuo inter se pendant. Ad confirmationem respondetur vnionem, interdum accipi pro actione, quæ ad tollendam æquiuocationem solet dici vnio, interdum vero ac magis proprie sumi pro ipso modo vnionis vel inhærentiæ permanentis in facto esse inter materiam & formam, & aliquando sumi etiam pro relatione consequente, vt latius annotatur in 3. p. q. 2. art. 8. Cum ergo dicimus vnionem esse causalitatem formæ, non est sermo de relatione, vt per se notum est, nam hæc si sumatur, vt aliquid distinctum ab aliis, vel nihil est, vel quid posterius est. Neque etiam est sermo de actione, de qua procedit dicta confirmatio fatemur enim formam, præsertim illam, quæ educitur de potentia materiæ, non esse proprie causam formalem illius actionis, per quam educitur, vt citato loco ostendimus, quia est terminus eius, vnde illa actio aliquo modo actiue comparatur ad ipsam formam, & ideo non potest vere ac proprie causari ab ipsa forma. Loquimur ergo de modo vnionis, de quo est longe diuersa ratio, quia non comparatur actiue ad formam, sed est quasi formalis nexus inter ipsam & materiam, & ideo potest habere dependentiam ab utraque, vt declaratum est.

Hic vero occurrebat statim difficultas, cur hic modus vnionis magis attribuatur formæ quam materiæ. Sed huic satisfactum est disp. 13. sect. 6. Neque hic aliquid addendum occurrit.

SECTIO VII.

Quis sit effectus causa formalis.

Dvo tantum effectus sunt, qui formæ attribui possunt, scilicet, compositum & materia, nam de generatione vel vnitione iam dictum est, non posse proprie effectum eius. De vnione vero ipsa in facto esse constat ex dictis, non posse dici proprie effectum, nisi fortasse eo modo, quo actio dicitur effectus agentis, quatenus ab illo est, quauis proprius dicatur via ad effectum.

Explicatur prior effectus formæ.

II. Quoad compositum ergo satis clarum est ex dictis, illud esse proprium ac primarium effectum formæ, nam ex illa intrinsece, & essentialiter constituitur, & ab illa habet speciem, & (vt ita dicam) pulchritudinem suam: nam ipsa complet essentialē naturam & rationem eius, vt ex Aristotelis definitione supra tradita constat. Item materia est causa compositi, vt supra ostensum est: ergo multo magis formæ, quia magis confert ad esse compositi: ergo & econuerso ipsum compositum est effectus formæ, nam in suo esse ab illa maxime pendet.

III. Sed obiciunt aliqui, nam si compositum est proprius & primarius effectus formæ: ergo propria causalitas formæ erit constituere compositum: hoc autem verum esse non potest, quia forma prius natura actuat materiam, quam compositum: nam cum essentialiter sit actus materiæ, prius respicit materiam, & per illam compositum: ergo compositum non est primarius effectus formæ, sed materia vt actuat, seu vt informat: ex quo effectui consequitur compositum vt posterior effectus. Respondeo his vocibus, non explicari duas causalitates, aut duos effectus formæ, sed vnum duntaxat sub diuersis habitudinibus. Vnica est enim vnio formæ ad materiam & illa posita, & præcisa omni alia re, vel modo reali, materia manet informata per formam, & compositum ex vtraque resultat: quamuis in ipsa forma possint diuersæ relationes considerari respectu materiæ vel compositi. Rursus materiam esse actuatam formā, non est effectus ex natura rei distinctus à composito: quia

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

per materiam vt informatam nō intelligimus solam materiam cum aliqua denominatione quali extrinseca, nam hic conceptus, vel nullus est, vel non est conceptus alicuius effectus realis, sed denominationis quam intellectus confingere potest ex concomitantia, vel habitudine ad formam vt præsentem sed per materiam informatam intelligimus materiam, vt intrinsece affectā formā: includit ergo materia vt informatā, & materiam ipsam, & formam, & vnionem. Sed compositum hæc tria includit, & nihil aliud: ergo hæc non sunt in re distincta, ergo non sunt duo effectus, sed vnus diuersimode à nobis conceptus & declaratus.

Et confirmatur ac explicatur à simili, nam in forma accidentali, non est aliud informare subiectum, & componere cum illo compositum accidentale, vt in albedine dealbare niuem, & constituere hoc album vt sic, idem sunt: ergo idem est proportionaliter in forma substantiali. Respondent esse disparē rationem, quia ex subiecto & albedine fit vnum per accidens, quod non est aliquid distinctum ab extremis simul sumptis & vnitis: ex materia autem & forma fit vnum per se, quod oportet esse aliquid præter illa tria, etiam simul sumpta, vt possit esse magis vnum. Sed hæc responsio falsam doctrinam supponit: impossibile est enim substantiam compositam in re aliquid includere, præter illa tria simul sumpta. Quod infra ostendam, disputando de essentia substantiæ materialis. Neque in eo consistere potest differentia inter ens per se, & per accidens: sed in hoc quod ipsamet vnio, & extrema vnionis omnia sunt eiusdem ordinis in ente per se vno, non vero in ente per accidens. Vnde etiam fit, vt in ente per se vno, vnio sit intimior, & orta ex maiori proportionē vnibilium inter se. Quod vero in hoc solum & non in alio sita sit differentia demonstrari potest, quia tā ens per se vnum, prout nunc de illo agimus, quam ens vnum per accidens, non est vnum vnitate simplicitatis, sed vnitate compositionis seu vnionis: ergo maior vnitas entis per se compositi consistit in nobiliori vnione, & maiori proportionē vnibilium, & non in additione tertiæ entitatis intelligibilis, quæ si sit simplex & ipsa sola præcisè sumpta dicatur esse per se vna, non erit vna compositione, & ita non erit compositum illud, quod per formam constituitur. Si vero illud tertium sit vnum, intrinsece includens materiam & formam, & vnionem earum, nihil his adiungere oportet, vt illud sit per se vnum, imo inde potius minueretur hæc vnitas, nam plura aggregarentur in eo composito, sine vlla necessitate. Retinet ergo ratio facta vim suam, quod si in accidentali forma actuari subiectum, & constitui accidentale compositum, verbi gratia, album, idem sunt in re, etiam in substantiali forma actuari materiam, & compositum constitui, idem sunt. Neque vnitas per se hoc impedit, sed maiori ratione id postulat.

Ad rationem ergo in contrarium, concedenda est sequela, nimirum essentiam substantialem compositam, esse primarium effectum formæ in suo genere, & consequenter præcipuam causalitatem formæ esse constituere idem compositum, non vtcunque, nam hoc absolute dictum commune est materiæ, sed vt perficientis & complementis essentiam: materia enim inchoat illam, forma vero complet. Cum vero additur, formam prius natura acturare materiam, quam constituere compositum, negatur assumptum, quia illa non sunt duo, sed vnum in re, vnde non est inter ea causalitas, & consequenter nec ordo naturæ, sed ad summum, potest esse ordo rationis, secundum conceptus inadæquatos. Neque obstat, quod forma essentialiter sit actus materiæ, nam æque essentialiter est pars compositi, imo, si inter hæc facienda esset comparatio, essentialius est pars compositi quam actus materiæ, quia forma non est pro-

Ec 3

pter

Pter materiam, sed propter compositum: re tamen vera hæc non sunt duo in ipsa forma, sed vnum fundans duas relationes. Ex quo potius retorquetur argumentum, nam sicut forma, vna & eadem aptitudine est pars compositi, & actus materiæ, ita eadem exhibitione se totam dat materiæ & composito, huic vt toti, illi vt comparti: ergo etiam in effectu idem est, & omnino simul, quod materia sit informata forma, & compositum constitutum: est ergo compositum proprius & primarius effectus formæ substantialis, & fortasse vnicus in genere causæ formalis: sed de hoc postremo puncto dicendum est in sectione sequenti.

VI.

An forma sit perfectior composito.

PRIUS vero soluenda est occurrens obiectio, nam causa esse debet nobilior effectu, teste Commentatore 2. Physic. comm. 4. sed forma non est nobilior composito: ergo non potest compositum esse proprius effectus formæ. Ad hanc obiectionem respondent aliqui negando minorem, nam Aristot. 7. Metaphys. textu 7. & 8. præfert formam composito, dicens esse magis ens, & prius illo. Atque ita sentit ibi Comment. & absolute defendit Zimara theorem. 10. qui etiam refert Lynconiensem. Et probat, quia quicquid perfectionis est in composito, est in sola forma & materia nullam addit perfectionem, & aliunde tota illa perfectio est in forma, tanquam in causa, & illa est, quæ secum affert esse, quod non cõuenit composito nisi ratione illius: ergo illa est simpliciter perfectior. Sed hæc responsio falso fundamento nititur, nam sine dubio compositum est perfectius sua forma. Quæ est aperta sententia Aristotelis, nam in 2. de anima in principio, & vbiunque distinguit substantiam in materiam, formam & compositum, præfert compositum formæ, & formam materiæ: imo infra agentes de substantia ostendimus, analogicè de illis dici, & ita explicuit Commentator 2. de anima commen. 3. & ideo dixit Aristoteles in prædicamento substantiæ primam substantiam esse maxime substantiam, vbi licet compareret primam ad secundam, tamen etiam præfert primam & completam substantiam partibus & incompletis substantiis. Vnde etiam Commentator 12. Metaphysic. com. 15. dicit compositum esse maioris nobilitatis, quam sit materia, vel forma & refert Alexander in eandem sententiam. Quam etiam tenet Simplicius in 1. Physic. textu 70. & 2. Physic. textu 4.

VII.
Sonic. 7.
Metaph.
g 28.

Ratio vero est, quia compositum includit quicquid est perfectionis, in forma, & addit aliquid: ergo est perfectius. Antecedens probatur ab aliquibus, quia compositum includit esse, quod non includit forma. Sed hæc ratio nullius momenti est: nam vel existentia distinguitur in re ab essentia actuali, vel non: si non distinguitur, sicut essentia composita includit suum adæquatum esse, ita forma suum proprium esse: si vero distinguitur, primū ratio illa non habet locum in homine, quia esse prius conuenit animæ, quam homini. Deinde, vt recte fiat comparatio debet fieri inter essentiam formæ, & essentiam compositi præcisè, & sic non procedit illa ratio, vel si fiat comparatio formæ ad compositum, vt includit esse, etiam forma sumi debet, vt includens suo modo esse, nam illi per se primo debetur vt primæ radici ipsius esse, quæ p illud etiā existit, quamuis denominatio exilendi simpliciter tribuatur composito propter modum subsistendi. Probatur ergo antecedens, quia compositum includit perfectionem formæ, & præterea includit perfectionem materiæ. Respondet Zimara à materia nullam sumi perfectionem, sed omnem potius imperfectionem. Fallitur tamen, quia vt supra ostensum est, materia habet veram realitatem & essentiam partialem: vnde necesse est, vt habeat

aliquam perfectionem in latitudine entis & maiore, quam accidentia. Item subsistentia, perfectio est: hæc autem habet substantia materialis maxime ratione materiæ. Item materia secum affert suum partiale esse, quæ omnia constabunt infra, latius tractandode subsistentia, & existentia. Et hoc sensu applicata prior ratio est efficax, nam compositum habet esse completum: esse autem formæ est incompletum. Denique vnio formæ ad materiam aliqua perfectio est: alioqui cur forma illam naturaliter appetet: hanc autem perfectionem includit compositum, non vero forma. Respondet aliter dictus auctor, quamuis compositum formaliter includat aliquam perfectionem præter formam, nõ sequi esse perfectius forma, quia omnis illa perfectio est à forma, & virtute in illa continetur. Sicut (inquit) Deus & mundus non est quid perfectius, quam Deus solus. Sed in primis, vt minimum, falsum erit quod asserit, formam esse perfectiorem composito: sicut Deus solus non est perfectior Deo & mundo simul. Deinde salum est, formam continere eminenter aut virtute totam perfectionem compositi: non enim habet in virtute perfectionem materiæ, nec causalitatem eius vilo modo supplere potest, maxime cum ipsa pendeat à materia. Tandem forma est propter compositum, tanquam propter finem proprium ac præcipuum: huiusmodi autem finis perfectius quid est eo, quod ad finem ordinatur, 2. Physic. tex. 31.

Exponitur Aristotelis locus ex 7. Metaphysic.

AD Aristotelem in 7. Metaphysic. respondetur variale locum illum exponi. Prima expositio est Aristotelem in eo textu 7. non loqui de prioritate perfectionis, sed de prioritate causalitatis: licet enim virtute colligit Philosophus. Forma est prior materiæ, & materia prior composito: ergo forma est prior composito. At si loqueretur de prioritate perfectionis, minor esset falsa: loquitur ergo de prioritate causalitatis. Ita Albertus Magnus, & Scotus, & indicat D. Thom. Sed non placet expositio. Primo, quia ratio illa argumentandi non est formalis, cum mutetur genus causæ. Deinde, quia melius & breuius concluderet formam esse priorem composito, quia est causa eius. Tertio probatur, quia Aristoteles non tantum dicit esse priorem, sed etiam esse magis ens. Verum est, Aristotelem in illatione non repetere, quod sit magis ens, sed solum, quod sit prior: dicit eo lauellus ibi questione 4. dicit comparationem inter formam & materiam fieri in prioritate & perfectione: inter formam autem & compositum in prioritate tantum. Sed hoc est præter expositionem omnium: nam ex modo colligendi & arguendi, quovis Philosophus, constat aut breuitatis causa fuisse in consequente omisam illam particulam, quæ ex virtute antecedentis intelligebatur, vel certe sub prioritate comprehensam esse prioritatem perfectionis. Secunda expositio est formam esse priorem & perfectiorem non simpliciter, sed secundum quid, ita vt Philosophus virtute sic colligat. Forma est prior & perfectior materiæ, quia illa est actus, hæc potentia: ergo forma est etiam perfectior, & prior, quam compositum saltem secundum aliquid, scilicet, quia forma est actus simplex, non includens potentialitatem: compositum autem includit potentialitatem materiæ. Ita Diuus Thomas & Alensis ibi, & Soncin. 7. Metaphysicæ, questione 28. Duo verba obstant huic expositioni, vnum est, quod propter excessum secundum quid, non debuisset Aristoteles simpliciter id affirmare & colligere, præsertim cum in antecedente absoluta sit comparatio, quia forma simpliciter est perfectior materiæ. Aliud est, quod etiam secundum quid non videtur compositum minus perfectum quam forma: nam includere potentialitatem materiæ, non est imperfectio in composito

compe-

comparatione formae informantis, sed solum comparatione substantiae completae immaterialis. Sicut rem esse simpliciter non est semper maior perfectio, etiam secundum quid, quando talis res ordinatur ad componendum vnum aliquid simpliciter perfectius.

Quocirca existimo Aristotelem nullo modo ibi praefere formam composito, sed vel nullam inter ea facere comparationem, vel potius praefere compositum formae, quod notauit Simplicius citato loco, & constat ex versione Argyropoli, quae sic habet: Si forma prior materia est, & magis ens, illud quoque, quod ex ambobus est, prius erit ob eandem rationem. Vnde antiqua versio deceptit expostores, quia loco nominatiui ipsum habet ablatiuum ipsum. Et, quod ad contrarium attinet, haec etiam lectio est magis consentanea intentioni Aristotelis; nam praecipue intendit contra antiquos ostendere, materiam non esse maxime substantiam, sed esse minus perfectam ceteris. Vnde postea in text. 8. refert. antiquos dicentes, materiam esse maxime substantiam: ipse vero docet esse impossibile, & concludit, Propter quod forma, & quod ex ambobus substantia videtur esse magis quam materia. Vnde in priori comparatione, cum concludit compositum esse prius ob eandem rationem, formaliter quidem, & mediate solum videtur comparari compositum ad materiam, virtute tamen etiam illud praefert formae, dum sic colligit: Forma est prior materia, ergo etiam compositum, eadem (inquam) ratione, scilicet, quia includit ipsam formam, & consequenter est etiam prius perfectione, & nobilitate ipsa forma, cum ad illam ut totum ad partem comparetur.

Ad obiectionem autem in principio positam respondetur negando simpliciter maiorem, non enim est necesse, omnem causam esse nobiliorem effectum, sed solum in aliqua causa efficiente & finalis non vero in materiali ut omnes fatentur, neque etiam in formalis, fere propter eandem causam, quia, nimirum, haec causae intrinsecae ita sunt causae, ut sint etiam partes, & neutra per se dat effectui totam entitatem aut perfectionem eius, sed constituit illum, dando ipsi id quod habet entitatis, ille vero quia confurgit ex multis, euadit perfectior singulis. Vnde addi etiam potest effectum superare causam secundum id, quod ab ea recipit: posse autem superare secundum id, quod habet ab alia causa. De quo latius infra; disput. 26. sect. 1.

SECTIO VIII.

Forma substantialis sit vera causa materiae, & materia effectus eius.

I.  Iam non agimus de materia ut informantis: de hoc enim dictum est sectione praecedenti, sed de materia quantum ad entitatem, seu quantum ad esse eius. Et ratio dubitandi est, quia tota entitas materiae supponitur ad educationem vel introductionem formae, ergo non potest illa entitas causari à forma: maxime cum materia recipiat esse per creationem, ad quam non potest forma cooperari concuando. In contrarium autem est, quia non repugnat formae esse causam materiae, cum causae sint sibi inuicem causae, secundo Physicæ textu 30. & 5. Metaphysicæ textu 2. Item, quia si forma non esset causa materiae, materia posset naturaliter esse sine forma, quia si non est causalitas, non est cur sit dependentia.

Referuntur opiniones.

II. Circa hanc quaestionem variae sunt sententiae, iuxta diuersum modum sentiendi de esse materiae.

Qui enim existimant materiam ex se nullum habere esse existentiae, dicunt formam proprie esse causam materiae, quia illud est causa rei, quod dat illi esse. Haec opinio esse videtur D. Thom. 1. par. quaest. 66. ar. 1. & de potentia quaest. 4. ar. 1. quam tenent omnes Thomistae. Capreolus in 2. distinct. 13. quaest. 1. Caietanus de ente & essentia, cap. 5. sub quaest. 9. Ferrar. in lib. 3. contra Gentes cap. 4. Soncin. & Iauell. 8. Metaphys. qu. 1. Idem secutus est Durandus in 2. distinct. 12. quaest. 2. & Argentin. quaest. 1. Modus autem explicandi hanc causalitatem formalem iuxta opinionem distinguentem realiter existentiam ab essentia actuali creaturae, hic esse debet, quod entitas partialis essentiae materiae de se est incapax existentiae, donec informetur forma substantiali: ipsa vero forma secundum suam entitatem essentiae per se primo vniatur materiae, & cum illa componit vnam essentiam integram: atque hic est primarius effectus formalis formae. Ex quo ulterius sequitur, quod forma communice esse existentiae quod secum affert, per se primo composito, & per participationem materiae, siue illud esse manet actiue à forma, seu per resultantiam, siue solum formaliter, quod in hoc solo consistere potest, quod tali formae, vel rei informantis per illam naturali necessitate debeatur tale esse, etiam si à sola causa extrinseca conferatur, à qua fit forma. Et hanc explicationem indicauit Caietanus dicto loco, nec videtur posse convenientius exponi in principiis illius sententiae: nam, si existentia est entitas distincta à forma, non potest ipsum esse existentiae esse primus effectus formae, sed esse essentiae, quod distinctum est; nam primus effectus formae est essentialis rei, quia forma ut forma est de essentia rei; at vero existentia est extra essentiam iuxta hanc opinionem: non ergo pertinet ad primum effectum formalem.

Vnde iuxta principia huius sententiae anima rationalis in Christo homine habet proprium & primarium effectum formalem: illo enim priuari non potest si actu informat: & tamen iuxta hanc opinionem non habet propriam existentiam creatam, ergo solum potest forma dare formaliter existentiam secundario, quia videlicet ipsa est vel constituit proprium susceptiuum existentiae substantialis, vel (quod in idem fere redit) quia essentiae completae per formam intrinsecè debetur esse substantiale, & non alteri. Sic autem declarata haec sententia probatur primo, quia materia est pura potentia: ergo ex se non habet actum, sed à forma: ergo cum existentia sit actus quidam, non potest materia conuenire nisi per formam. Secundo, quia existentia est posterior actus, si comparetur ad essentiam: ergo supponit essentiali actum: hic autem actus est forma. Tertiò, quia esse substantiale est esse completum ac perfectum: ergo per se non debetur nisi naturae completae, & formali: ergo tantum debetur formae, vel ratione formae.

Addit vero Durandus, etiam si dicatur existentia non distinguì in re ab essentia, nihilominus asserendum esse, formam esse causam formalem existentiae actualis materiae: nam licet essentia sit sua existentia id tamen intelligi debet cum proportionem, nam essentia in potentia erit existentia in potentia, & essentia actualis erit existentia actualis: ergo sola forma erit actualis existentia, qua formaliter fit in materia. Atque ex hac opinione vtrouis modo explicata sequitur, materiam naturaliter pendere à forma in tota sua entitate, ita ut non possit sine illa manere, quia non potest manere sine existentia: sed non habet existentiam, nisi à forma, & per formam, à qua ipsa existentia pendet: ergo. Quo etiam fit, ut mutata forma mutet materia existentiam, quamuis sub diuersis formis & existentis, eadem essentia materiae conseruetur. An vero tanta sit haec dependentia, ut à Deo suppleretur non possit sine forma, dicemus sectione sequenti.